

perfectissimo & infinito. Ergo etiam Sapiencia Dei infinita & summa sit necesse est. Gaudet itaque Deus Sapiencia summa, & infinita (§. 3. collat.).

Patet etiam ex hoc simul, Sapienciam talem, qualis Deo competit, in nullam cadere posse creaturam, quæ sunt limitata, & intellectu gaudere possunt non nisi finito.

§. 23.

*Dominium* dicitur Jus pro arbitrio disponendi de ipsa rerum substantia, usu & fructu. *Dominium quid?*

Suppeditat hanc definitionem Ill. Wolfius in Theol. N. P. I. §. 954. Ubi in antecedentibus terminos illam ingredientibus explicavit. Jus nimirum dicit facultatem moralem agendi, quæ est potentia id agendi quod moraliter possibile est. Moraliter vero possibile dicitur id, quod licitum est. Non opus igitur est illam porro adstruere.

§. 24.

*Dominium* definitur per facultatem moralem disponendi de rerum substantia &c. (§. 23.). Sed vero facultas illa moralis considerari potest vel, quatenus facultatem aliquis moralem habet in rem, quoad modum, sic vel aliter de illa disponendi, vel, quatenus facultatem aliquis habet de ipsa rei existentia disponendi, ut nempe res nova creetur, vel creata annihilatur. Si aliquis habet jus in rem, priori modo disponendi de illa, tum ille dicitur habere *Dominium externum*. Si posteriori modo, tum *internum*. *Differencia Domini internæ & externæ.*

Suppetitavit hæc Cel. CANTZIUS de Regimine Dei Univ. (§. 150. 151.).

§. 25.

Deo competit *Dominium in omnes creaturas internum & externum*. *Deus est Summus*

Ratio